



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronicon Cisterciensis Ordinis

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Ordo Equitvm Montesiae in regno Valentiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11259

ORDO EQVITVM MONTESIAE
in regno Valentia.

1317. IACOBO II. Aragoniæ, Catalauniæ & Valentiaë Rege, per legationes agente, ex prædijs, quæ Templarij in Valentino tractu obtinuerant, noua vt militia constitueretur, anno CIO. CCC. XVII. à Ioanne XXII. Pontif. Maxi. est impetratum: Calatrauæ quidem contributa, proprio tamen Magistro, veste candida, & *cruce rubra* insignis, simplici planaque. Cistertiensis instituti legibus viuere mandatum est. Præcipua sedes Montesia: vndè & militiae nomen. Infestabant id temporis Mauri littora Valentina: quibus tuendis egregiam Equites isti operam præstitere. Primarius huius instituti auctor fuit *Guilielmus Erilius*, vir fortissimus. Solent autem Equites isti in vexillis militaribus cruces viridi nigroque colore distinctas, in scutis autem vestibusq; cruces, vt dixi, rubras præferre, & castitatem omnes profiteri. Quæ, vt audio, violata est, temporibus Cæsaris Borgiæ, Magistri ordinis XI. Summis Pontificibus certas ob causas indulgentibus.

*Hier.
Smita,
lib. 2. re-
rum Ara-
gon.*

Inter Magistros ordinis meritò laudatur, *Iacobus*, Iacobi Aragoniæ Regis filius: cui Eleonora Alfonsi Castellæ Regis filia cùm esset desponsata, ea intacta relictaque, mili-
tia

tiæ huic nomen dedit, laudatissimeque præfuit. Nostra ætate *Iacobus Falco*, *Valentinus*, huius Ordinis miles, insignem de quadratura circuli commentarium edidit, Antuerpiæ typis Bellerianis. Plura qui volet, *Ioannem Marianam*, *Consaluum Argetem Molinam*, libro de Nobilitate Hispaniæ, aliosque eius prouinciæ historicos consulat. Qui quidem vnanimi consensu, non ad *Iacobi I.* cognomento *Fortunati*, vt *Volaterranus*, *Bugianus*, & *Morigia* per errorem fecere, sed ad *Iacobi II.* *Aragonæ Regis* tempora, huius equestris militiæ initia referunt. Ex quibus patet, & *Onuphrium Panuinium*, in *Chronico suo Ecclesiastico*, ista perperam anno *Christi 1233.* adscribere.

ORDO EQVITVM CHRISTI,
in Portugallia.

PORTVGALLIA, siue, vt alij scribunt, *Portugalia*, (quæ prouincia maiori ex parte veteribus *Lusitania* fuit) secundum *Oceanum occiduam* fusa, & *Anâ* ac *Minio* fluminibus ad meridiem *Septentrionesque* comprehensa, longitudine *quadringenta milia passuum* colligit, multo minori latitudine, & vbi *arctissime* se pandit, *centum amplius sexaginta milium*, vbi *arctissime* coit, *octoginta*. Diuisa est in partes tres, *Cistaganam*, *Transtaganam*, & tractum eura
qui